



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

Caput I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

QUINAM PRIMI HÆRESEOS ET HÆRETICORVM conatibus sese opposuerint.

CAPUT I.

I. *Lutheri hæresi multi Catholici è somno quasi excitantur.*

II. *Quinam ex ijs fuerint præcipui.*

III. *Admirabilis Dei erga Ecclesiam Providentia.*

IV. *Quomodo Sathanas spe sua frustratus sit.*

V. *Multi à Lutheranæ hæreseos contagione præservantur.*

I. **O**MNES illi divinæ justitiæ adversus Prælatorum quorundam hypocritam vel socordiam ac populi impietatem exsequutores; omnes, inquam, Lutherani, Zvingliani, Anabaptistæ, Schvvenckfeldiani & ceteri id genus sectarij, à quibus tot populos seductos, & Christianitatem per septentrionem pene everfam, in superioribus libris vidimus quamvis extrema omnia conati essent, tandē tamen à Ecclesia, contra quam ne Inferorum quidem portæ prævalebunt, repulsi ac victi discesserunt, & ruinas (a) ab se factas, quantum fieri potuit Novi orbis ad fidem Catholicam accessione uberrima ad Orientem & Occidentem & Austrum, imo in ipso Septentrione restauratas viderunt. Ut namque cælum nunquam ita vaporibus ac nubibus tegitur quin splendor ejus aliunde se ostendat: sic tot præclara Ecclesiæ lumina fanaticorum ingeniorum opinionibus & commentis ita obscurari non potuerunt, quin ijs etiam in locis ubi tenebricosa regnabat hæresis, radijs suis alios percellerent, alios à diviticulis ad rectam semitam reducerent, alios denique languentes recrearent. Quumque res eo jam pæne rediisset, ut victrici hæresi Ecclesia, sola humilitate armata, succubitura videretur: plures tanquam classico è profundo somno excitati, ei auxilio accurrerunt, contra Lutherum, Carolstadium, Melanchthonem, Munzerum, Zvinglium, & alios ad Ecclesiæ persiciem natos homines, acerrima suscepta dimicatione, vocatisque in subsidium Cyprianis, Irenæis, Tertullianis, Hieronymis, Augustinis &c. Quorum copijs novorum Evangelistarum manipulos ita prostrigarunt, ut magna Germaniæ pars salutem eis suam debeat: Et verum esse agnoscat, non esse consilium contra Dominum (b) frustra diabolo ei se opponit, quod in cælo est decretum.

II. Inter hos præcipui æque æterna memoria digni sunt Cardinales, Thomas de Vio seu Cajetanus, Hofius, Polus, Gropperus, Georgius Saxonæ Princeps, Joannes Eccius Canonicus Ingolstadtensis, Hieronymus Emserus, Ambrosius Catharinus, Marinus Carraciolus, Cancellarius Badenſis, Joannes

Fischerus, Jodocus Clichthoveus, Joannes Dietenbergerus, Joannes Cochleus, & alij tam virtute quam doctrina præstantissimi viri, quos supra in primis ordinibus velut antesignanos vidisti, & infra quoque videbis. Et quemadmodum Deus hominum conatus quantumvis exiguos adjuvat, sic etiam eorum laboribus, qui antiquæ conservandæ pietati, & profligandis, quæ totam Christianam Rempubicam pessundaturæ videbantur, Novitatibus, incubuerunt, mirum in modum benedixit. Utrum literatissimum Erasmus in illorum numero ponere debeam, dubius animi hæreo, ut qui, si non in Catholica fide aliquo modo vacillavit certe, inter personas hujus vel illius religionis anceps incescit. Nam etsi acrem omnium Sectariorum inimicum fuisse constat, plerique tamen ipsius auctoritate ad errores suos defendendos usi sunt. (c) Sic Antitrinitarij in libro quodam ad Hungariæ Regem, cum Serveto ipsorum Propheta eum sensisse asserunt, & Picardi suatum eum partium faciunt, ut in Lathilij Apologia legere est, eo fortè quod Apocalypsis è Canonicorum librorum numero rejecit, & testimonium illud quod D. Joanes in prima sua Epistola SS. Trinitati reddit, expunxerit. Illud quidem certum est, in plerisque eum scriptis Ecclesiasticis Satyrice incescere, sic, ut usque ad annum M D X X I X. Lutheri rebellionem favisse videatur. Unde Proverbium illud, cujus primo libro memini, *Aut Erasmus Lutherizat, aut Lutherus Erasmusizat*. Ab Ecclesiæ tamen unione nunquā seplane separavit: ceteri professi hæresin, ut ac tandem re ipsa ostendit, contra privatorum quorundam vitia, non vero contra Ecclesiam aut ipsius dignitatem à se quamvis scientiæ persuasione, modestiæ limites aliquantum transgresso, calamum fuisse strictum. Scire Scaliger, *Magnus*, inquit, *futurus Erasmus, si minor esse voluisset*. E quo (ut Manlius è Melanchthone auditum scribit) quum post Imperatoris coronationem Saxonæ Dux Fridericus quæsisset, *quid miser ille suus monachus (Lutherum intelligens) commisset ut omnium fere odia experiretur, respondisse ait: Id unum, quod Papa coronam, & mitras Episcopis detrahere, ac Monachis ceterisque Ecclesiasticis ollam evertere conaretur*. Verum ut ut sit, Erasmus certè longe aliter postea de Luthero sensit, quem pessimi & infelicitis Schismatis auctorem esse seito sapiens aperte profite-

(a) Ps. 109. (b) Prov. 21. 30. (c) Vid. Natal., Marian. Victor. & Euseb. Cenomanum.

batur. Quia vero non ea qua par erat prudentia & animi moderatione antea usus est, apud multos præstantissimos scriptores nomen ipsius infamiae quadam nota aspersum videmus. Sic faciem parvus navus defædat honestam.

Illud tamen fatendum est, ipsius exemplo & auctoritate multos fuisse cohibitos quominus Lutheri & Zvinglij hæreses sequerentur, quum viderent eum hujus præcipue somniatoris, & Achatis ipsius Oecolampadij odio, Basilea Friburgum, quæ civitas semper in Ecclesiæ obedientia permanerat, commigrasse. Dolendum sane est, morte præventum nec Retractationum libros, nec scripta sua contra Bucerum, quem capitaliter oderat, edere potuisse, quamvis ut id faceret à Thoma Moro sæpius fuerit admonitus. Sed audi eius protestationem omnium oculis expositam, qua Lutherana hæresis maculam coram abstergit. Ego, inquit, *Jesus Christum cognosco. Lutherum non cognosco, sed Ecclesiam agnosco. Illud pro certo habeo, quisquis es, Lector quidquid Romana Sedi adversatur, Erasmi non esse. Ipse quidem in scriptis suis passim quam sæpe Lutherum infædat: per ludibrium eum rogans utrum Christus esset, & à quo potestatem illam sacros libros ita truncandi acceperit. Magnum hunc virum Lutherani in suorum numero ponunt. Zvinglijani vicissim suum esse contendunt. Utrique falso. Audiamus, quæso, quid ipse in epistola ad Helvetios, contra libellum falso inscriptum, Doctissimi Erasmi Roterodami, & Martini Lutheri opinio de Cæna Domini, de se protestatur. Ego, inquit, nescio utrum in libro illo plus fatuitatis aut malitia sit. Sed ne ulla sub nominis mei umbrâ anima seducatur, illud coram toto Mundo protestor, non recusare me quin princeps hereticorum habeatur, si in omnibus meis scriptis, quorum plura edidi, unum verbum reperiat, quo evinci possit, me de Eucharistia Sacramento aliter sentire quam Ecclesia Catholica hætenus senserit: simulque coram Deo protestor, me à fide universali Ecclesiæ nunquam deflexisse. Si quid aliud revelatum est, ipsi viderint. Idem ad Malanchonem scribens. Quis vos, inquit, possit repræsentare, qui neque summo Pontifici, nec Principi, nec magistratui, nec suo ipsorum Luthero dicto sunt audientes? Evangelio ajunt se credere: sed ipsi volunt esse interpretes. Et tolerari fortasse hoc posset, si ut ab antiquitate sese separarunt, sic in novitatibus suis concordæ essent. Hæc de Erasmo eam ob causam hic repetenda existimavi, quod rari & sæculo suo primarij viri memoriam & exstimationem à quibusdam traduci animadverterim, quamvis nec Lutheranus ille, multominus è sacramentariorum numero unquam fuerit. Ut veto in iudicio D. Semper Virginis honori non*

æquus admodum existimatus fuit, (a) ita postea singulari eam devotione coluit, facta Lauretanæ Virginis voto, hymnisque ac canticis in ejus laudem compositis, ut & Liturgia, ab Archiepiscopo Vefontino approbata, & sermone in ejus laudem valde eleganti, Versibus etiam idem Genovevam Parisiensium Divam tutelarem celebravit, cujus intercessione à febris fuerat liberatus. Beza illustrium hominum, eorum præsertim qui de hæresi bene senserant, effigies & elogia scribere aggressus, faterur quum in Erasmi incidisset effigiem, de tabula manum tollere voluisse, eo quod ille superstitiones ridere contentus, religionem apertè professus non esset, sed malæ causæ defensionem suscipere maluisset. (b)

III. Magna semper ac præcipue hoc tempore fuit Dei erga Ecclesiam suam providentia; major etiam bonitas. Quum enim illa à præcipitio jam parum abesset, per septentrionem ecce is qui hominum judicia plerumque fallit, misericordia motus auxiliatrices ei manus porrigit, & non multo post pristinum vigorem reddit. Et sicut Deus malum nunquam permittit, nisi ut bonum inde eliciat. (c) sic hæc Lutheri rebellionem plures ille in obedientia confirmavit & loco paucorum hominum, locis infinitis & multitudine innumerabiles populos ad Ecclesiam suam aggregavit: fugatis quæ tum in multis Ecclesiæ officariis crassæ admodum erant, ignorantia tenebris, artium ac scientiarum lumen reduxit, adeo ut ipsi jam cæci ad inspicienda eorum mirabilia aperti videantur, ac verè dicere possimus, per eos qui mortè nobis machinabantur, vitam nobis redditam. (d) Et sicut olim nisi Arius & Nestorius extitissent, nunquam S. Incarnationis mysteria tam clare fuissent explicata per Symbola, Nicænum, Athanasij, Constantinopolitanum, Ephesiam &c. (e) sic nisi Lutherus prodjisset, plures articuli, ac præcipue qui est de Ecclesiæ, SS. Communione, Sacramentis, & eximie inter alta de augustissimo altaris Sacramento, tenebris adhuc involuti essent quæ jam ita dispulsi sunt ut detracto velot ipsa caro nuda, ut sic dicam appareat. Jam Ecclesiæ Catholice pulchritudo in summo consistit fastigio, nec ullam in doctrina umbram de se jactat, non plus quam sol in Zenith constitutus, in urbe Siene. Oës Catholice Fidei articuli ita jam explanati sunt, ut si diabolus vel cristam vel candæ paululū unquam movere cœperit, semper in stupendis nostris (scilicet

(a) Vid. Pontan. & Possavin. in Apparatu. Causæ in Mariali. (b) Vide Beza Icones. (c) Augustinus (d) v. Cor. 13. (e) Vide Tomos Conciliorum, Syrii, Mercatoris, Bini &c.

scriptis illud semen reperturus sit, quod caput ei sit contritum. (a)

IV. Sicut ex malis moribus bonæ nascuntur leges; sic hæresibus Catholicæ veritatis dogmata stabiliuntur, & clare apparet esse illa dogmata æterna, & super æterno principio fundata. Antiquus ille hostis religionem Christianam funditus delere cogitabat; sed toto erravit cœlo, rot Novi Mundi populis ad eam tunc primum adjunctis. Et quemadmodum Syracusis aer nunquam ita nebulosus esse fertur quin solis radij semel aut iterum videantur: sic Ecclesia Catholica frustra tenebrarum Principe (b) ejusque satellite sive stella de cœlis decidua Luthero se se cum fumo suo abyssali interponentibus, agnata sibi & nativa claritate radios quam late patet mundus, de se spargere numquam cessavit. (c) Et sicut aurum igne molitur, non frangitur; purgatur, non consumitur, uti nec usu: sic Ecclesia omnibus illis persecutionibus & hæreseon incendijs multo pulchrior emerit, (d) quam temporis ei affricuerat longinquitas, deterfa rubigine. Jam diabolus totam Germaniam reti suo inclusam habere se putabat, sed eo rupto, (e) major pars evasit.

V. Horum aliqui pisces, quem Glanum Latini vocant, imitati sunt. ut enim hic hamo inverso admofo & cibo degustato, salvus abire: sic illi extremis labris percepto Lutheranae doctrinae gustu, ubi sub ea nihil nisi meram, quidquid lubet faciendi, licentiam, & earum rerum quæ tot jam sæculis in honore fuerunt, contemptum latere deprehenderunt, (f) ab ea abstinendum sibi rati, quamprimum refugerunt. Alij devoratis esca & hamo, Scolopendræ exemplo, omnia intranea quoque evomerunt donec hamum egressissent; ij scilicet qui pro salutis via perditionis semitam ingressos se, adeoque jam ad præcipitium pervenisse animadvertentes, uti Wicelij, Staphili &c. tandem errore agnito & abjecto, ad mentem & Catholicæ Ecclesiæ unitatem redierunt. Soli fere illi quorum Deus venter est, quique forte feminam aliquam miseram incestarunt, firmiter apostasiæ adhaerescunt, sex hominum & opprobrium Mundi; sive ut S. Joan. loquitur in Apocalypsi sua (g) *Homines qui non habent signum Dei in frontibus suis.*

VI. Germaniam quidam totam Lutheranam appellat. Quam recte, infra dicetur. Ut enim in præcedentibus 4 libris Hæreseos in ea ortum & mirabiles, velut nobilissima & amplissima provincia in triumphum ducta progressus ostendimus; sic in sequentibus ejusdem decrements ac ruinaam, quæ sensim appropinquat, exponemus. Nam veluti torrens momento temporis excrescit, & alyco egressus, im-

petu suo obvia quæque abripit, paullatim dein pluvia cessante subidet, & rarecentibus aquis alveum fere siccum relinquit: sic hæresis postquam ad summum pervenit fastigium, paullatim jam descendere & ad interitum vergere incipit; cum prædictum sit loco citato Apocal. istas Locustas non nisi mensibus quinque annorum scilicet cruciaturas Ecclesiam, quod tempus ad Annũ 1667. fere pertingit, sic ut non solum sperare, sed cœto statuere debeamus, Catholicam Ecclesiam, veterem illam & gloriosam Bellatricem: (h) uti alibi à nobis appellatur, plenas de hostibus suis victorias tandem reפורaturam, adeoque multo majores vires post assultum hunc recollecturam. Quod si quæ restant adhuc reliquæ, commiseremur potius quam meruimus. Ipsi Lutherani instantem suæ doctrinae interitum hariolantur, ac præcipue is qui Lutheranismi Restaurator fuit. Sed videamus jam cœleris missa ad destruendam hæresin auxilia.

(a) Gen. 3. (b) Ephes. 6. 12. (c) Matth. 5. 14. (d) 1. Pet. 1. 7. (e) Ps. 115. 16 (f) Ulenberg in Vita Luth. Passim. & Luth. ipse in Captiv. Babylon. & libert. Christiana &c. (g) cap. 9. (h) Cantic. 9.

ORIGO SOCIETATIS JESU, firmissimi contra hæreses valli.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

- I. Deus malo bonum opponit.
- II. De Ignatio Lojola, Societatis Jesu Auctore.
- III. Is Romam profectus, multis superatis difficultatibus, Societatis suæ confirmationem impetrat.
- IV. Socios ad omnes Christianomen proficentes populos dimittit.
- V. Origo nominis Jesuitarum.
- VI. Ex eorum Societate omnis ambitio exclusa.

Quemadmodum Natura communis hominum patens, & cui etiam minima vitæ nostræ momenta curæ sunt, serpentes è cavernis suis, ubi hyemais asperitas mille nodis contortos & implicatos eos continuit, ante præterepe non patitur quam fraxinus eis inimicissima florere incipiat, ut contra venenatos morsus antidotum inde nobis parare queamus; nec prius ejusdem arboris florem decutit quam illi jam in lætibus suis se absconderint: (a) sic Naturæ auctor, & Pater communis, nihil magis quam hominum salutem desiderans, numquam ab infernali

sode

(a) Gesnerus, Aldrovandus, Plinius &c.